

Heinrich Müller Henricus Fürstenow

De Contritione & Confessione Poenitentium, Positiones Theologicae

Rostochi[i]: Kilius, 1665


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740044850>


Druck Freier  Zugang




RU theol. 1665

Müller, Henr. /c







DE
CONTRITIONE
&
CONFESSIONE
POENITENTIUM, 4
Positiones Theologicæ,

Quas
DEO volente,
&

Consentiente venerando Collegio Theologico
in Acad. Rostochiensis

PRÆSIDE

D. HENRICO MÜLLERO,

Theol. Professore Ordinario, & ad Div.

Mariæ Pastore,

In Auditorio Majori d. Junii
proponet publice

HENRICUS FÜRSTENOW,
Westph.



ROSTOCI,

Typis JOHANNIS KILII, Academiae Typogr.

ANNO MDCCCLXV.

DE
CONTRITIONE

&
CONFESSIONE

POENITENTIUM.
Foliones Theologice

DEO volente

Confessione venerando Collegio Theologico
in Acad. Rostochensi


PRÆSIDIS

D. HENRICO MÜLLERO

Theol. Professore Ordinario & Adm.
Mater. Pastoris

In Auditorio Majori h. Junii
propone publicè

HENRICUS HIRSTENOW



Rostocki

Exp. JOHANNIS KILII, Academicæ Typogr.
ANNO dñe 1724

De
CONTRITIONE.

§. 1.



Contritio est verus terror conscientiae, quæ sentit Deum irasci peccatis, & se propter hæc subjici iræ Dei & aternæ damnationi, ideoq; dolet se peccasse, *uti habet Apologia A. Conf. art. XXII, pag. 165.*

§. 2. Dico, verus dolor, quia etiam hypocrite simulant se dolere, sed non verè dolent, etiam impii dolent, sed metu pœnæ. Sunt, quos peccasse pœ-

nitent propter præsentia supplicia. Displicent latroni peccata, quando agitur de pœna; desinit vindicta, revertitur ad crimina, *inquit Augustinus l. de ver. & fals pœnit. c. IX. Verè contritè non tam metuunt pœnam, quam anguntur offensa in Deum commissâ. Neque tamen agnitio pœnarum futurarum à contritione omninò excluditur, sed tantum prout illa est conjuncta cum metu mentis ad futuras plagas serviliter trepidantis. Interim qui de peccatis dolet non tam actum immisionis plagarum à Deo futurae, quem divina Oeconomia humiliter relinquit, quam jus immittendi pœnas quas cumq; gravissimas peccatis suis debitas respicit.*

§. 3. Terrorem cum nomine, non tam ipsum terrorem, ut ille abs nobis ex lege concipitur, intelligo, quam agnitionem terri-

A

onis

onis ut pœna peccati à Deo immiffa. Ille enim licet non omninò inutilis fit, præcisè tamen ad contritionem non requiritur; hæc verò ad actus contritionis pertinet præparatorios.

§. 4. Causa efficiens principalis contritionis est Deus, ministerialis Verbi minister.

§. 5. Contritio strictè sumta nequaquam est actio hominis spontè ab ipso suscepta, aut habitus recuperatus, uti quidem voluit Lombardus l. IV. Sent. dist. 4. quem alii ex Doctoribus Scholasticis sequuntur. Contritio enim est passio iudicii divini sensu excitata, quod vel ipsum nomen indigitat, translatum à rebus exterioribus ad interiores cordis motus: quemadmodum corpus passivè se habet cum conteritur flagris; ità etiam cor pœnitentis in contritione, dum ob peccata admissa dolore, terroribus & sensu iræ divinae veluti conficitur. Idem inculcant Polyonyma contritionis in sacris literis tradita. Dicitur enim *κατενόησις*, conscientiae compunctio, ut transfixi. Act. II, 37. percussio cordis, II Sam. XXIV, 10. conturbatio animæ, Ps. VI, 3. confractio, velut ossium cruris fragio disruptorum Es. LVII, 15, contusio, ut lapidis mortario comminuti, Psal. LI, 19. scissio cordis, ut vestis dilacerata Joël. II, 13. infixio sagittarum Domini, Psalm. XXXVIII, 3. *Νεκρωσις*, ut victima mactata II Cor. IV, 10.

§. 6. Subjectum contritionis est homo peccator, audiens concionem legis, nec ponens obicem. Obicem ponere dicitur, qui media salutis contemnit, vel malitiosè iis resistit. Non ergò intelligitur repugnantia naturalis, quæ est dubitatio mentis & lucta carnis (hæc enim mediis salutis non obstat, sed per ea aut omninò tollitur, aut imminuitur ad minimum,) nec quæ ex habitu peccandi orta est, quippe qui non simpliciter impedit, sed saltem difficiliorem reddit contritionem. Sed de repugnantia arbitraria sermo est, quæ directè obicem ponit, qui concionibus legalibus dicta opera se subducit, aut eas persequitur; indirectè qui eas negligit.

§. 7. Objectum contritionis sunt peccata in universum
omnia

omnia. Juxta sententiam Pontificiorum non est necesse conteri de peccatis venialibus, sed tantum de mortalibus. Non est necesse, inquit Toletus l. II. instruct. Sacerd. c. 5. habere contritionem peccatorum venialium, hæc enim diximus sine contritione remitti posse. Nec Synodus Tridentina quæquam adstringit ad confitenda peccata venialia, sed tantum mortalia Sess. XIV, can. 7. Res certe intoleranda committere peccatori judicium discernendi an peccaverit venialiter, an mortaliter. Necesse hic utique est peccatores animi pendeant & ancipitibus distrahantur judiciis, dum singula peccata ponderant, dubitantes, an mortalia sint, an venialia. Et quis nescit quam facile sit, ut homo cæco sui ipsius amore abreptus sibi blandiatur suaq; peccata extenuet. Obtendet paupertatem suam qui furatus est, dicetq; legem nullam necessitati latam: Obtendet consuetudinem, qui juramentis frequentibus veluti flosculis suum exornat sermonem. Obtendent hic & ille Virorum sanctorum exempla, qui patravenerunt graviora, ut sunt homines ad peccatum proclives & ad excusationem ingeniosi.

§. 8. Instrumentum contritionis est Lex, cui in excitanda contritione famulantur discrimen honestorum & turpium, testimonium conscientie, memoria judicii divini, calamitates & pœna tum interna tum externa, exempla suppliciorum divinatorum in aliis, quæalia sunt diluvium primævum Gen. VII, 21. incendium Sodomiticum c. XIX, 24. & similia I Cor XI 22. Refertur etiam huc potest Passio & mors Servatoris secundario & accidentaliter quasi considerata.

§. 9. Omnis contritio pertinet ad legem & ex lege est. Ex ea enim agnitio peccati Rom. III, 20. illa iram operatur Rom. IV, 15.

§. 10. In se & ratione suæ essentia spectata contritio, quæaunque sit, non est Evangelica, ut Bellarminus vult l. II. de pœnit. c. 2. contritionem partem pœnitentiæ cum tota pœnitentiæ fidem, cujus respectu Pœnitentiæ ad Evangelium pertinet, in se complexa semper confundens. Evangelium nos ad Deum allicit & bene sperare ju-

bet; at contritio in subjectis fiducia in Christum destituta est fuga Dei, fremitus contra Deum & via ad desperationem. Quod asserentes nos nequaquam Manichæis assentimur, uti nos arguit Bellarminus l. c. prop. 3. sed Dei opus ab accidentario effectu, quem Satanas & caro nostra ingerunt, discernimus.

§. II. Contritio in se est pavor servilis, sed accedente fide fit timor filialis. Qui attritionem admittunt ex Pontificiis, dicunt esse eam dolorem ob peccatum commissum profectum non ex amore Dei, sed metu pœnae, & sufficere ad gratiam Dei promerendam, uti videre licet apud Costerum in Enchirid. cap. de contrit. At certum est, affectum animi nullum in salutis negotio posse Deo placere, qui ex Dei amore non proficiatur. Timor servilis, qui à solo metu pœna nascitur, non convenit filiis Dei & repugnat Spiritui adoptionis. Inter initia posse eum esse utilem haud diffitemur, ad id ut conteratur animus, at nisi accedat fides & amor Dei metusq; ille servilis cedat loco, contritio non potest esse Deo grata hominiqu; salutaris.

§. 12. Contritio formaliter non includit propositum bene vivendi; uti vult Bellarminus l. II. de pœnit. c. II. Pertinet id non ad contritionem, ut est pars pœnitentiæ, sed ad integram pœnitentiã, ut fructus pœnitentiæ quoad fidem spectata. Contritio enim excitatur per legem; nova autem vite propositum est à Spiritu sanctificante, qui non per legem, sed per Evangelium datur.

§. 13. Forma contritionis est ipse actus doloris, qui vel est immanens, vel transiens. Ille est cum homo intus agnoscit & dolet, se coram Deo peccati reum; hic, cum internus dolor foràs progreditur, & vel vultu, vel sermone vel gestibus se prodit.

§. 14. Prior ille dicitur confessio interna, & quæ ad Deum fit, quam vix admittet Bellarminus, qui libr. III. de Pœnit. c. 2. Promissio, inquit, de remittendis peccatis iis, qui confitentur Deo sua peccata facta, non videtur ulla exstare in divinis literis. Nimirum solis iis vult promissam remissionem peccatorum qui adeunt
Sacerdo-

Sacerdotes, non verò etiam iis, qui Deo directè peccata sua confitentur. Frustrà ergò David Ps. XXXII. Dixi, inquit, confitebor transgressionem meam Domino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Conf. Ps. LI, 6. Luc. XII, 13. Pluris ergò faciendus homo quam Deus, quia confessio facta homini peccatorum affert remissionem, non item ea, quæ fit Deo.

§. 15. Posterior doloris actus, cum sermo contritionem manifestat, propriè confessio dicitur externa, quæ vel est publica, & fit vel à tota, vel ad totam ecclesiam; vel privata, & fit vel ad Ministrum Ecclesiæ vel ad proximum.

§. 16. Ut vindicis Dei flagella persentiscens integer coctus atque calamitatibus publicis oppressus in terram se prosternat, peccata sua doleat & confiteatur publicè, nec prius erigatur, quam misericordie locus concedatur, hortatu Sacerdotum diem ad id indicentibus, qui indicendi jus habent atque potestatem, consultum est, suaque in sacris habet exempla Neh. IX, 1. Esth. IV, 3. 1 Sam. VII, 6. Jon. III, 8.

§. 17. Ut publica confessione Ecclesiæ satisfaciatur, qui scandalo publico eam turbavit, & vult Scriptura Matth. XVIII, 17. Luc. VII, 39. 1 Cor. V, 1. & nobiscum probat Synodus Tridentina: deserunt tamen esse in usu confessiones publicæ in Ecclesia Romana.

§. 18. Veteres publicos & notorios peccatores censura notabant ecclesiastica, cujus vestigia quædam reliqua mansere in nostris ecclesiis, quæ notorios peccatores ad penitentiam & deprecationem in publico loco peragendam adigunt. Notoreitas autem ista postulat vel totius ecclesiæ particularis, vel maxime partis membrorum istius ecclesiæ notitiam certam de hoc vel illo flagitio ejus, cui publica injungi debet confessio. Neque verò illa æstimanda est ex conjecturis & suspicionibus quibusdam, sed aut ex confessione ipsius rei, aut ex sufficiente illius convictione, aut rumore publico constante & non variabili eoque certis signis comprobato.

§. 19. Potissimum verò in veteri Ecclesia penitentia ecclesiastica,

*situa, quæ semper erat publica, quæ quatuor fuerunt gradus, πρῶτος, δεύτερος, τρίτος, τέταρτος. Primi sc. πρῶτος, aggementes, flentes, sistebant se ad ecclesiarum vestibulum, ubi pratercun-
 tibus fidelibus advolebantur, & ut pro se precarentur etiam flentes ora-
 bant. O mirabilem, meritò hic exclamat J. G. Kettenbeil in Ob-
 serv. Albassinai p. 55. antiquitatis pietatem & religionem! Quo-
 tus enim quisque in hoc rerum senio & propè occasu plurimis
 & gravissimis noxis vel unam lacrymulam secum arcanò im-
 pendit? Ad unius delicti conscientiam sanctissima illa in anti-
 quitate solidum triennium, etiam verò quadriennium inspe-
 ctante Ecclesia propalamq; lugebant, non elugebant quippe,
 sed hanc sibi viam ad luctum & pœnitentiam muniebant. O ve-
 teris disciplinæ sanctitatem mirabilem, quæ culpas sic amputa-
 bat, ut reliquum corpus integrum & ab omni labe castum tue-
 retur. Ἀκούοντες s. auscultantes iisdem quibus catechumeni Do-
 ctoribus erudiendi de integro in primis fidei rudimentis tradebantur,
 quia opinabantur veteres, haud posse quenquam flagitii mortiferis
 deditum esse, si divinæ justitiæ cognitione aliqua instructus fuisset.
 Προπίπτουσι s. prostrati, quibus diebus solennia per agebantur sacra,
 aut jejunabatur in Ecclesiam veniebant, & intra ejus septa proximè
 portam à fidelibus separati stabant; postquam autem Catechumeni
 orationum benedictione percepta abierant, palàm coràm universo po-
 pulo madentes lacrymis proni se abiciebant in terram. Tunc Epi-
 scopus unà cum Sacerdotibus passis ad illos manibus accedebat, ora-
 onesq; aliquot in eos recitabat, quibus auditis mox è templo discede-
 bant. Συνιστάμενοι s. consistentes Ecclesiam cum fidelibus intererant &
 orationibus communicabant, sed ad Communionem SS. Eucharistiam
 non admittebantur. Detestabile quippe Deo & hominibus non
 solùm existimabant hominem vel levissima macula inquina-
 tum aut maculæ nebula offusum ad Eucharistiam accedere, sed
 etiam periculosum absolutos pœnitentes eam tangere & at-
 trectare,*

rectare, quod non satis sancti & sanctificati censebantur, quibus tanta res committeretur. Quare tempus aliquod eis communione precibusq; fidelium & sacrae Eucharistiae adpectu sanctificandis destinabant. Certò enim credebant tantam inesse vim vel in ipso Eucharistiae adpectu ut peccatus purgaret & sanctificaret, inquit Kettenbeil l. c.

§. 20. *Bellè sic satis in Ecclesia sese habebant omnia, ubi clavis ligante, imprimis quò excommunicationem, utebantur Episcopi, ut non tantum videre est ex Tertulliano Apolog. c. XXXIX. & Cypriano Epist. XXXVIII. sed etiam constat exemplum tum Ambrosii Imperatorem Theodosium I, referentibus Theodoro l. V, c. 17. Sozomeno l. VII, c. 24. Nicephoro l. XII, c. 40, 41. & Stilliconis Comititis servum, ut habet Paulus Presbyter in vita ejus; tum Innocentii Episcopi Romani Arcadium cum Coniuge Erodoxia ex Ecclesia communione ejicientium.*

§. 21. *At hodiè, postquam clavis ligantis, quoad excommunicationem præcipuè, usus in nostris Ecclesiis hinc inde sublatus, quò peccant & scelera sceleribus cumulant innumeri sunt, qui pœnitent vix unus & alter. At, quid, inquires, consilij? Restituatur quod ablatum est, tollatur abusus, restituatur usus. Dices 1. Paucis res illa tutò vix committi potest, Resp. Paucorum, s. illi sint Consistoriales, s. Ministri Verbi, administratio certis legibus constringenda est, ne potestate sibi concessa abuti possint: Remedio quoque appellationis vel ad Magistratum, vel ad Synodum, ubi ejus copia haberi potest, consulendum iis, qui publica aliqua vel Consistorij vel Presbyterij sententia gravati sibi videntur. 2. Magistratus Politicus non admittet hoc jugum, ut qui licentia cupidus, per quam quisque fit deterior, suo metuit honori. Resp. Concedi id facillè posset, si, quò rara est in Magistratu pietas, extinet apenitus in eo esset atque emortua. At utinam modò essent hodiè Ambrosii, certè non desorent Theodosii! Sed redendum nobis in viam.*

§. 22. *Confessionem privatam, quò fit Ministro Ecclesie s. Confessionario,*

feſſionario, juris divini eſſe contra Pontificios merito negamus, veti-
nemus tamen eandem in noſtris Eccleſiis juxta XI. art. A. Conf. ut Sa-
cerdos in remiſſione & retentione peccatorum clavem ſolventem &
ligantem eò commodius adminiſtrare poſſit, ne ſanctum canibus pro-
jiciat, Matth. VII, 6.

§. 23. Calvinus confeſſionem extraordinariam unius &
alterius delicti graviſſis ad privatum ſolacium percipiendum Mini-
ſtro Eccleſiæ factam non improbat, ſed commendat potius l. III. Inſt.
c. IV, §. 12. at ordinariam, quæ in quibusdam noſtris Eccleſiis obti-
net, ex fœtidis Papatuſ lacunis erepſiſſe docet deſenſ. II. contr. Weſtph.
p. 712. Recentiores tamen hac dere vel nihil movent, vel ita ſtylum
temperant, ne abs nobis diſſentiri videantur.

§. 24. Confeſſio ſacramentalis, quàm auricularem aliàs
appellamus, quàm penitens omnia & ſingula peccata mortalia, quæ poſt
ex actum Conſcientiæ examen memoriæ occurrunt, cum omnibus cir-
cumſtantiis ſpeciem mutantibus Sacerdoti in ſecreto ad minimum ſe-
mel in quolibet anno confeſſetur, nec in Scriptura, nec Antiquitate fun-
damentum ullum habet.

§. 25. Ante octingentimum à Chriſto annum exempla qua-
dam confeſſionis ſpecialioris habemus in Monachis, ſed præceptum
nullum. Audoenus in vita St. Eligij l. I, c. 7. Non poſt longum
ſpaciũ, cum jam Eligius virilem ageret ætatem, cupiens ſe vas
exhibere Deo ſanctificatum, ac metuens ne aliqua ſua delicta
pectus fulſcarent, omnia ab adoleſcentia ſua coràm Sacerdote
confeſſus eſt acta. Et Theodorus Studites Orat. funebr. in S. Plato-
nem c. 8. Quodq; laudabilius eſt, occultas mentis cogitationes &
acta cuidam eorum qui præerat ſæpiùs confeſſebatur. Quæ
res magnum erat religionis illius indicium. Idq; cum perfe-
ctè facere ſolitus eſſet, ei qui confeſſionem ipſius audiebat, ad-
mirationem & ſtuporem afferbat.

§. 26. At circa annos à Chriſto octingentos urgeri cœpit &
præcipi

Præcipi in Ecclesia hæc Confessio. Alcuinus de div. off. c. XIII. Vo-
lens dimittere omnia his qui in se peccarunt confiteatur omnia
peccata sua, quæ recordari potest. Concilium Cabilonenſe II
c. XXXII. Hoc emendatione egere perspeximus, quod quidam
dum confitentur peccata sua Sacerdotibus non plenè id faciunt.
Quia ergò constat hominem ex duabus esse substantiis, anima
videl. & corpore, & interdum animi motu, interdum carnis
fragilitate peccatur: solerti indagatione debent inquiri ipsa pec-
cata, ut ex utrisque plena sit confessio: scil. ut ea confiteantur
quæ per corpus gesta sunt, & ea, quibus in sola cogitatione de-
linquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum con-
fessor, ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in hac vita dif-
ficile vivitur, confessionem faciat. Concilium Moguntinum
temp. Gregor. IV. c. XXVI. Ab infirmis in mortis periculo posi-
tis per Presbyteros pura inquirenda est confessio.

S. 27. *Sicubi antè hæc tempora leges veteres urgere specialem*
delictorum confessionem, non volunt eam esse de necessitate salutis, nec
ut medium omnibus perpetuò necessarium ad obtinendam remissio-
nem peccatorum præcipiunt; sed liberè proponunt & postulant ut com-
modum & utile medium ad consolationem percipiendam. Nonnun-
quam urgent ut quæ deliquimus confiteamur singula, non Sacerdoti,
sed Deo immediatè. Vid. Chrysostomus Hom. IV in Laz. Ambrosius
l. de Parad. c. XIV. Imò Seculo IV Nectarius Episcopus Constantino-
polititanus confessionem privatam Sacerdoti pœnitentiario fieri soli-
tam propter stupratam in templo à Sacerdote mulierem omninò abro-
gavit, quem & cæteri in Oriente Episcopi hæc in re sunt secuti, quod
non fecissent, si eam ad salutem necessariam esse judicassent. Vid. So-
crates l. V. Hist. Eccl. c. 19. Sozomenus l. VII, c. 16. Interim in Ecclesiis
occidentis mansit ea consuetudo, ut gravioris alicujus criminis sibi
conscii id confiterentur antistitibus ecclesiæ. Augustinus certè Homil.
L. disertè, distinguit peccata atrociora excommunicationem me-

D rentia

rentia à quotidianis, & illa sola antistiti confitenda scribit. *Conf. Epist. CIIIX.*

§. 28. Anno Christi M CC XV in Synodo Lateranensi sub Innocentio III Lex universalis de confessionis auricularis necessitate ad salutem primum edita fuit. Omnis, habet Lex c. XXI. utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam pœnitentiam studeat propriis viribus adimplere.

§. 29. Quid sentiendum sit de hac Synodo, vel exinde constat, quod Papa tribuit potestatem dandi & adimendi regna ac dominatus; quod non attentis gradibus consanguinitatis & affinitatis matrimonium extendit usque ad quartum gradum, quia in corpore humano sunt quatuor humores & quatuor elementa; quod vocabulum transubstantiationis in Scriptura & plusquam per X secula inusitatum auctoritate sua confirmat, ut testantur magno consensu Pontificij, etsi id in Aetis Synodi non invenitur.

§. 30. Constitutionem tamen Lateranensem confirmat Synodus Tridentina Sess. XIV, can. 5. & 6. suamque confirmationem anathemate roborat can. 7. Si quis dixerit, inquit, in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, & circumstantias, quæ peccati speciem mutant — anathema sit.

§. 31. Ut huic legi obtemperetur, veniunt singuli de populo ad Parochos, genua flectunt coràm Sacerdote sedente & se cruce signant, pronunciantque hæc verba quæ habentur apud Navarrum man. de conf. c. X. Confiteor Deo omnipotenti, & beatæ Mariæ semper Virgini, sanctis Apostolis Petro & Paulo, & omnibus Sanctis curia

ria coelestis, & tibi Pater, quia nimis peccavi cogitatione, verbo &c. in de pœnitens transit ad tacitam confessionem singulorum peccatorum & circumstantiarum, hæc insusurrans in aurem Sacerdotis.

§. 32. Non desunt inter ipsos Pontificios, qui confessionem hanc clanculariam negent esse juris divini, & ad salutem præcisè necessariam. Autor Gloss. Decret. de Pœnit. dist. V, c. 1. Melius dicitur, inquit, eam institutam fuisse à quadam universali ecclesiæ traditione potius, quàm ex N. vel V. Testamenti auctoritate. Gratianus ipse dubius est de Pœnit. dist. I. qu. 3. c. 89. Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraqve sententia satisfactionis & confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus; cui autem horum potius adhærendum sit, Lectoris judicio reservatur. Utraq; enim fautores habet sapientes & religiosos viros. Panormitanus de Pœnit. & remiss. c. omnis multum sibi placere illam opinionem dicit, quæ docet confessionem esse ex quadam generali traditione ecclesiæ, & Gracos non peccare non utendo confessione, quia apud eos non emanaverit hæc constitutio. Scotus in IV. sent. dist. 17. qu. 1. valdè dubitanter asserit esse de jure divino. B. Rhenanus, vir inter Pontificios non vulgariter doctus, proæm. in Tertull. de pœnit. esse scribit inter juris Pontificij Scriptores quosdam non incelebres, qui institutam ab ecclesiâ confessionem tradant, quâ hodiè conscientiam nostram Sacerdoti detegimus, usque ad circumstantiarum omnium minutias. Cajetanus in Job. XX. disertè asserit, modum confitendi in aurem non esse à Christo institutum. Maldonatus T. II. de Sacram. c. 1 & 3. fatetur omnes juris Canonici peritos s. decretorum interpretes uno quasi ore dicere, nullum præceptum divinum de confessione extare, sed eam jure ecclesiastico introductam esse. Cardinalis Perronius observ. II. c. 3. negat confessionem sacramentalem esse necessariam ad salutem. Quod & plurimi alij faciunt, innumeras serè afferendo exceptiones, quibus necessitas illa aboletur. Vid. Toletus l. III. Inst. Sacerd. c. 7. Melchior Canus prælect. de pœnit. p. VI.

Emanuel Sa Aphor. verb. Confessio. Non esse mortale peccatum sine confessione ad Eucharistiam accedere, si quis aliàs contritus sit, tenuerunt, referente Cano l. c. Richardus in IV. sentent. dist. 17. art. 3. qv. 6. Petrus Paludanus ibid. qv. 2. Cajetanus III part. qv. 80. art. 4. Ipse Bellarminus l. c. haud diffitetur, confessionem rem esse difficilem, onerosam & valdè molestam, quando l. II de pœnit. c. 12. Si qva, inquit, in ecclesia catholica res est, qvæ gravis & difficilis videatur, sine dubitatione illa Confessio est. Quid enim molestius, quid onerosius, qvàm ut COGANTUR etiam viri Principes Regesq; potentissimi Sacerdotibus, qvi & ipsi sunt homines, peccata sua omnia detegere, qvamvis arcana, qvamvis turpia, qvamvis pudenda, qvamvis horrorem ipsi confitenti afferentia, & eorundem Sacerdotum judicio stare, & multam ab eis injunctam subire?

§. 33. Loca Scripturæ, quibus probare satagunt adversarii confessionem clanculariam esse de jure divino, à variis adducuntur varia. Thomas Aquinas III part. summ. qv. 84, art. 7. ausus est dicere, confessionem sacramentalem à Christo esse institutam verbis hæc; Agite pœnitentiam, Marc. I, 18 qvam sententiam damnas Synodus Tridentina statuens, Sacramentum pœnitentiæ esse institutum à Christo de-enim post resurrectionem. Joh. XX.

*§. 34. Baronius ad Act. XIX, 18 recurrit & Certum est, inquit, id intelligendum de confessione sacramentali, in qva sententia etiam esse Hofium, Tappetum, Gagnejum, Salmeronem, Zanchez, Bellarminum, Gregor. de Valentia, Corn. à Lapide, asserit Tirinus in h. l. ipse ab hac sententia haud aded alienus. Hu opponimus Estium & Lorinum, qvorum ille; Quidam sacramentalem confessionem hinc statuunt & nonnihil pro illis facere videtur, qvòd in Græco est *πενίς & νότος*, sed reverà non alia videtur hîc intelligi confessio, qvàm qualis facta legitur Matt. III à Judæis venientibus ad baptismum Johannis, qvam constat non fuisse sacramentalem. Erat autem qvædam exterior professio veræ pœnitentiæ, & sinceræ conversionis ad Deum, ac detestationis peccatorum; si quis ea non vereretur etiam palàm annuntiare; qvòd videtur hîc factum ab iis, qvi recens crediderant & baptizari volebant, inter qvos erant, qvi curiosa fuerant scrutati, i. e. magica exercuerant; atqve hoc peccatum suum etiam allatis secum libris, iisq; publicè combustis, confessi sunt. Hic verò; Non ausim usurpare*

usurpare illud Baronii, CERTUM est. Nam excipere quisquam posset, sermo-
nem esse non de jam baptizatis, sed catechumenis. Nam ecclesia Romana non
admittit ad hoc Sacramentum non baptizatos. Addit; Nullus ex antiquiori-
bus Theologis probat ex hoc loco Sacramentum confessionis, neque vel
Concilium, vel Catechesis Tridentina. In Tirino quoque hoc videtur mereri cen-
suram, quod haud erubescat scribere Oecumenium locum citatum intellexisse de con-
fessione sacramentali, quae fit Sacerdoti in aurem. Verba Oecumenii haec sunt;
Δεί πῶτα πρὸν λέγειν τὰς ἐαυτοῦ ἀμαρτίας, καὶ δευτέρως πρὸς τὸν ἐκείνου
ἐλέγχειν ἢ μηκέτι ποιῆν τὰ αὐτὰ, ubi ne de confessione sacramentali,
nec de Sacerdote penitentiario.

S. 35: Bonaventura in IV sent. dist. 17. p. 2. a. 1. q. 3. Christum, ait, non in-
stituisse confessionem peccati Sacerdoti faciendam, sed utcumque insinuaverit, reli-
quisse tamen hoc involuntate egrotantium. At postea confessionem esse ab Apostolis
institutam, & ab Episcopo Hierosolymitano S. Jacobo promulgatam c. V, 16.
Contrā Scotus in IV sent. dist. 17. qv. unic. n. 15. dicit, Jacobum nec præceptum dare
de confessione Sacerdoti faciendā, nec præceptum à Christo datum promulgare Bal-
thasar Paësius, Doctor Lusitanus, in suo ad h. l. Commentario scribit, Apostolum h. l.
Christianos adhortari ad mutuas preces. Suvarez Tom. IV. dist. 35. Sect. 1. & Vasquez
in III Thom. qv. 90. a. 1. testantur locum illum non cogere, multos quoque Ca-
tholicos de confessione, quae invicem fieri debeat inter fratres, illum interpretari.
Expresse verò Cajetanus, Non hic, inquit, sermo est de confessione Sacramentali,
ut patet ex eo quod dicit; confitemini invicem. Sacramentalis enim con-
fessio non fit invicem, sed Sacerdotibus tantum, sed de confessione, quae fate-
mur nos mutuo peccatores, ut oretur pro nobis, & de confessione hinc inde er-
ratorum pro mutua placatione & reconciliatione. Melchior Canus l. c. testimo-
nium hoc contrā hereticos non adeo firmam videri scribit. Estius Comment. in h. l.
post allatas diversas interpretationes dat optionem lectori, & rem relinquit in me-
dio. Certè vox ἀλλήλοις clarè evincit, sermonem esse de confessione reciproca
post offensas, de qua etiam intellexit Augustinus Epist. LIV ad Macedonium.

S. 36. Bellarminus l. II. de pœn. c. 2. q. 9. Becanus c. XXXV de cons. qv. 1. &
alii in patrocinium confessionis sacramentalis sequentia adducunt loca Matt. XVI. 19.
c. XIII. 18, Job. XX. 23. in quibus Apostolis eorumque Successoribus potestatem judicia-
riam à peccatis in foro conscientiae absolvendi collatam esse volunt, quae cum prius
quam causa fuerit audita & cognita, exerceri nequeat, omnino ex Christi institutio-
ne necesse esse existimant, ut prius Sacerdoti peccata exponantur, quam ille absolutionis
sententiam pronunciet. At ex adductis locis non potest probari, istiusmodi potesta-



rem remittendi peccata concessam esse ministris ecclesie, quæ sit iudicialia. Neque verò illi sententia sua quæquam vel solvunt, vel ligant nisi declarativè & applicativè, ad quem absolvendi modum haud requiritur peccati specificatio cum suis circumstantiis, quippe quæ non facit illud remissibile, sed agnitio & confessio quod fit, facit, cæteris paribus, ut remissibile fiat, etsi species peccati non recenseatur, ut patet exemplo Publicani, latronis & aliorum; imò ipsorum Papiſtarum fulcitur suffragio, qui peccata memoriâ elapsa remittunt peccatoribus.

§. 37. Nos quidem non negamus, quod enumeratio omnium peccatorum in confessione licita sit: laudamus potius eos, qui ad pleniorum exonerationem conscientia peccata, quibuscumque anguntur, aperiunt Sacerdoti, dummodo id consentibus liberam & in ipsorum arbitrio positum relinquatur, nec conscientia læqueus injiciatur interrogando, an hoc aut illud delictum commiserint. Pœnitentiarius enim non est concessa potestas inquirendi in existentiam delictorum singularium, quæ singularia sunt, sed in qualitatem delictorum genericam, quatenus vitia sunt æternum supplicium promerentia. Uno verbo; Potestas clavium data est non ad inquirenda delicta occulta, sed ad corrigenda manifesta.

§. 38. Pontificiorum illa auricularis nec Dei habet mandatum aut promissionem, nec exempla in verè pœnitentibus. Imò impossibilis est. Delicta enim quis in numero habet? Ps XIX, 13. Si homo teneretur omnia peccata mortalia confiteri & ab eis absolvi, teneretur ad simpliciter impossibile. Nullus enim hominum novit, quoties peccat mortaliter, etiam in bonis operibus, propter vanam gloriam, inquit Lutherus.

§. 39. Confessio, per quam fideles post mutuas offensas culpam invicem agnoscunt & sibi mutuo satisfaciunt, nititur his verbis Jacobi c. V, 16. Confitemini invicem peccata, & approbatur à Gratiano dist. VI. de pœnit. c. Qui vult,

§. 40. Præter confessionem sunt & alia signa contritionis, quædam naturalia, quædam arbitraria. Naturalia sunt gemitus, querelæ, lamenta; arbitraria, scissio vestium, jejuniû, cinerum adpersio, saccorum assumptio, aquarum effusio &c. Vid. II Paral. XX, 3 I Sam. IV, 12. Jon. III, 4. Joël. III, 12, II Sam. XIII, 19. Dan. IX, 3. I Sam. VII, 6.

§. 41. Signa contritionis ponuntur interdum pro ipsa contritione, atque tunc ipsis metonymice tribuitur culpæ & pœna remissio. Joël II, 12, 18. I Reg. XXI, 27 seqq.

§. 42. Contritionis actus externus non est absolutè necessarius, quia illa in efficaci cordis motu potissimum consistit. Non tibi dico, inquit Chryſostomus hom. XXXI in Ebr. ut te prodas in publicis, neque ut te apud alios accuses, sed obedire volo Prophætæ dicenti, Revela Domino viam tuam. Ante Deum ergo
tua

tua confitere peccata, apud judicem confitere peccata tua orans, *εὐχὴ μὴ τῆ γλώσσει, ἀλλὰ τῆ μνήμῃ.* Et Basilius hom. XXI in Psal. XX XVII. Non ut multis conspicuus fiam labiis confiteor, mecum intus in ipso corde oculos claudens tibi soli videnti ea, quæ in occulto sunt, gemitus meos ostendo, in me ipso rugiens: Neque enim longis sermonibus ipsi opus erat ad confessionem & luctus à profundo animi ad Deum emissi. Fieri tamen vix potest, quin certis signis & gestibus se prodat contritio. Utur incornu celaveris ignem per rimulas tamen subinde promicabit. Cor luctum decorabit faciem, & propter dolorem cordis Spiritus erit tristis. Prov. XV, 13. c. XVII, 22.

§. 43. Finis contritionis est sollicita circumspèctio de remedio doloris; effectus est deformitatis peccatorum agnitio & ex ea orta depressio atque humiliatio peccatoris.

§. 44. Contritio, quæ dolor est de peccatis agnitis, conjuncta est cum detestatione & fuga peccatorum. Impossibile est ut verè doleat se peccasse, cui peccare in deliciis est.

§. 45. Contritionem s. dolorem de peccato in pœnitente & appreciativè & intensivè summum requirit Bellarminus l. II. de pœn. c. II. pr. 2 & 6. appreciativè summum intelligit, cum quiv peccatum, ceu omnium maximum malorum, detestatur, ac de illo dolet ità ut alius dolor ob malum quodcumque inutile vel injucundum illum non excedat vel æquet; intensivè summum, quando quiv omni conatu & cuncto gradu intensiois, nec non cum quadam mora temporis, quantum & quamdiu potest, dolet de peccato, illudq; detestatur.

§. 46. Sed non datur in pœnitente ullo contritio vel appreciativè vel intensivè summa, tunc quia non integrè peccata agnoscunt renati Psal. XIX, 13. tunc quia adhuc sunt ex parte carnales: caro autem odit ac timet gehennam aliàsve pœnas plus quàm peccatum.

§. 47. Nihilominus seria ac sincera est contritio, etsi in doloris & detestationis de peccato suscepta vehementia sit aliquis graduum, vel quæ intensioem, vel quæ extensionem, vel quoad quantitatem, vel quoad durationem, defectus. Nam defectus ille graduum doloris in contritione non imputatur, sed remittitur cum alius peccatis per fidem, quæ contritionem, ut pœnitentiæ pars altera, excipit. Et ad dolorem contritionis pertinet, dolere quod non latis possis dolere de peccatis, ut Chemnitzius part. II. Ex C. T. f. 380. loquitur.

§. 48. Contritionem esse remissionis peccatorum causam tum dispositivam, tum impetrativam, adeoq; meritoriam ex congruo pertendunt Pontificii. Patres Synodi Tridentinae Sess. VI, c. 14. & Sess. XIV, c. 4. Contritionem hominem Deo reconciliare

conciliare omniq; tempore ad veniam impetrandam necessariam fuisse docent. *Bel- larminus l. 6. c. 12.* Catholici, inquit, communi consensu docent contritionem esse causam remissionis peccatorum. *Cap. 18. vult, contritionem saltem imper- fectam omnino necessariam esse in adultis necessitate mediæ ad remissionem peccato- rum & justificationem obtinendam.* Imò *l. IV. de pœn. c. 1.* haut veretur contriti- onem nominare satisfactionem de congruo pro peccatis.

§. 49. Nos quidem haud negamus Deum remittere peccata tantum contri- tis & pœnitentibus. Sed aliud est causa rei impetrandæ, aliud conditio subjecti impetrantis. Deus quidem ignorit Ninivitis respicientibus, sed non ex merito res- picientiæ. Quando *Luc. VII, 47.* de muliere pœnitente dicit Christus, peccata ei esse remissa, quia dilexit mulctum, illud *Quia non est causa cur res sit, sed cur co- gnoscat; non consequentis, sed consequentiæ, qualis est deductio conclusionis ex præmissis.* Rectè dico, ibi est ignis quia est fumus, nec tamen fumus est causa ignis.

§. 50. Medium quod antenus dici posset, at non positivum, sed privati- vum, quale est puris remotio ad sanandum vulnus; sistens proæreticam continuatio- nem peccandi & consequenter removens incapacitatem ac obsta:ula remissionis pec- catorum, scil. opinionem non-indigentia, & studium pergendi in peccatis, uti habet *Hülsemannus Brev. c. IX, th. 2.*

§. 51. Causa autem remissionis peccatorum nullo modo est contritio, sicut nec dolor ex sensu est causa sanationis. Justificatio formaliter consistit in remissio- ne peccatorum. At justificamur gratis *Rom. III, 23.* Fastuosa est humilitas, quæ sibi persuadet se demissione animi facere Deum debitorem. Requiritur contritio non ut causa reconciliationis cum Deo sed ut pars ordinis, quem Deus in justificandis obser- vat, & obedientiæ illius, quàm à justificandis exigit.

§. 52. Est ergò verissima Glossatoris sententia in *l. dist. can. 1. de pœnit.* Dic, quod nec cordis contritione, nec oris confessione peccata dimittuntur, sed tantum gratiâ Dei, quàmvis eum hoc nomine *Melchior Canus increpet Tract. de Pœn. p. V.*

§. 53. Eleganter *Chrysostomus Homil. LXXX. ad pop. Antioch.* Ne tuæ con- fidas pœnitentiæ: tua namque pœnitentia tanta nequit delere peccata. Si sola foret pœnitentia, jure timeres, sed postquam cum pœnitentia commiscetur fides & Dei misericordia, confide, quoniam tuam convincit nequitiam sola Dei gratia. Et *Gregorius M. Homil. VII in Ezech.* Justus igitur advocatus noster justos nos defendet in judicio, quia nos ipsos & cognoscimus & accusamus in- justos. Non ergò in fletibus, non in actibus nostris, sed in advocati nostri allegatione confidamus.



Silicet hæc summa est nostræ, Vir amice, salutis:
SO peccator homo RESIPISCE! Hæc janua vitæ
Unica, Quam si quis non ingredietur, aberrans
Omni ex parte, fores nigri pulsabit averni.
Ergo tuum laudo conamen, nobile dogma,
De respiscendi ratione ex ponte Cathedræ
Publicitus qui proponis. DEUS annuat ausis!

*Ita piis Eximij Dn. Respondentis, Audito-
ris sui solertissimi, conatibus
applaudit*

CHRISTIANUS Kortholt) D.

Cum METANEA viam de mortis tramite rectam
Ad vitam sternat nos societq; DEO.
Hinc benè de Cathedra talem proponis, Amice,
Prosperet ut cæpta hæc Gratia Diva, precor.

*Sympatriotæ hæc in amoris mnemo-
synon ponit*

Matth. Pöppelman.

Pincipis ingenio pugnantis tela retundas,
Principis ac instar præmia larga feres.

*Quod Præstantissimo Dn. Respondenti,
Amico suo fraterno, animi-
tûs volebat*

Johannes Bernhardus Becker,
Dethmoldiâ Westph,

Hanc

Hanc hodiè Cathedram dum tu conscendere gaudes,
Ingenii dotes prodis. Patruelis amande.
Gratulor: & vellem vivaci carmine laudes
Condecorare tuas, mentemq; hilarare faventem:
Interea Summus tua cœpta secundet IOVAH!

Hæc Patrueli suo dilectissimo, ex animo
gratul. scrib.


Johannes F. Fürstenouw.


FURSTENOVI Sympatriota amande
Gratulor scandis Cathedram quod illam
Vile non præbens specimen tuorum.

*in honorem Dn. Respondentis Amici sui candi-
dissimi cum voto prosperitatis hanc spoſu
per brevem apponebat*

Franciscus Mejer, Herf. Westph.









tua conficere peccata, apud iudicem conf
γλώσῃ, ἀλλὰ τῆ μνήμῃ. Et Basilius h
multis conspicuus fiam labiis confiteor,
claudens tibi soli videnti ea, quæ in occulte
iplo rugiens: Neque enim longis sermon
& luctus à profundo animi ad Deum emiss
signis & gestibus se prodat contritio. Utur in
men subinde promicabit. Cor lætum deco
cordis Spiritus erit tristis. Prov. XV, 13. c.

§. 43. Finis contritionis est sollicitudo
Etus est deformitatis peccatorum agnitio &
peccatoris.

§. 44. Contritio, quæ dolor est de pec
tione & fuga peccatorum. Impossibile est ut
delicius est.

§. 45. Contritionem s. dolorem de pe
intensivè summum requirit Bellarminus l. II
summum intelligit, cum quis peccatum, seu
tur, ac de illo dolet ita ut alius dolor ob malu
illum non excedat vel æquet; intensivè sum
certo gradu intensiois, nec non cum quadam
potest, dolet de peccato, illudq; detestatur.

§. 46. Sed non datur in penitente ull
vè summa, tum quia non integrè peccata ag
adhuc sunt ex parte carnales: caro autem od
quam peccatum.

§. 47. Nihilominus seria ac sincera e
nus de peccato suscepta vehementia sit aliquis g
extensionem, vel quoad quantitatem, vel quoad
Etus ille graduum doloris in contritione non in
catis per fidem, quæ contritionem, ut penitem
rem contritionis pertinet, dolere quod no
Chemnitius part. II. Ex C. T. f. 380. loquitur

§. 48. Contritionem esse remissionis p
tùm impetrativam, adeoq; meritoriam ex c
Synodi Tridentinae Sess. VI. c. 14. & Sess. XIV

31
ua orans, εἰ καὶ μὴ τῆ
l. XXVII. Non ut
in ipso corde oculos
meos ostendo, in me
erat ad confessionem
vix potest, quin certis
ignem per rimulas ta
& propter dolorem

remedio doloris; effe
ressio atque humiliatio
juncta est cum detesta
eccasse, cui peccare in

re & appretiative &
r. 2 & 6. appretiative
um malorum, detesta
nutile vel injucundum
vis omni conatu & cum
quantum & quamdiu

ppretiative vel intensi
sal. XIX, 13. tum quia
nam aliæve pœnas plus

n doloris & detestatio
à intensioem, vel quæ
defectus. Nam dese
mittitur cum aliis pec
excipit. Et ad dolo
dolere de peccatis, ut

am rum dispositivam,
tunt Pontificii. Patres
nem hominem Deo re
conciliare

